

præfecti vel ducis fungi nequeant, ut expresse habetur in Sexto, l. 3, tit. 24, cap. 3.

3º Clerici et religiosi, qui bello justo intersunt, non dicimando, sed spiritualiter adjuvandi causa, spolia hostium non minus quam alii milites accipere ac retinere possunt, quia sunt pars exercitus et eadem subeunt pericula cum aliis: æquum est igitur ut eadem habeant commoda.

4º Licet propria manu decertare non valeant, possunt tamen, in magna necessitate, moenia vel portas civitatis custodire, imo et ad id in repentina bello tenentur, ut desumitur ex Decretal. l. 3, tit. 49, cap. 2.

5º Clerici et laici in bello justo propria manu occidentes vel mutilantes, fiunt irregulares, ut in Tractatu de Irregularitate dicimus: qui vero in bello manifeste injusto, sive offensivo, sive defensivo, militant, irregularitatem ex delicto contrahunt, quamvis ipsi nec occiderint, nec mutilaverint, si vel unus adversariorum fuerit occisus aut mutilatus; quia omnes ad homicidium cooperantur, et eamdem causam moralem constituant. Sic ex pluribus juris canonici capitibus communiter docent auctores, paucis contradicentibus, inter quos annotator Ferraris, ad calcem art. 4.

#### ARTICULUS SEPTIMUS.

##### DE HOMICIDIO CASUALI.

Id dicitur casuale quod præter intentionem accidit. Fieri autem potest ut ita sit præter intentionem quod neque fuit volitum in causa, et tunc nullo modo imputatur ad peccatum; vel ita ut ex causa voluntarie posita sequatur, et indirecte volitum judicatur, ac proinde, si malum sit, est peccatum mortale aut veniale, secundum principia a nobis in Tractatu de Actibus humanis exposita.

Duplici modo aliquis potest esse causa homicidii casualis seu indirecte voliti, nempe vacando rei licitæ, et vacando rei illicitæ.

1º Si causam mortis homini ponat, vacando rei licitæ, et debitam adhibendo diligentiam, non peccat, nec igitur homicidii est reus. Si, e contra, debitam diligentiam non adhibeat, plus minusve peccabit, juxta gradum negligentiæ, modo mortaliter, modo venialiter: id ex solo prudentium judicio determinari potest.

2º Qui vacando rei illicitæ, sed mortis non inductivæ, et adhibita sufficienti diligentia, causam mortis homini ponit, non est reus homicidii inde per accidens sequentis, quia talis occisio nullo modo est voluntaria; non in se, ut patet; neque in causa, cum prævideri non potuerit: unde clericus qui peccat venando, non habendus est ut homicida, si, adhibita convenienti diligentia, hominem pro fera occidat, quod accidit respectu D. de Chantal.

3º Qui vacando rei illicitæ et periculosæ, v. g., qui medicinam et chirurgiam non didicit et operationem chirurgicam facit, ex qua mors sequitur, reus est homicidii, quia hujusmodi mors ipsi vere imputabilis est.

De irregularitate ex homicidio casuali proveniente judicandum est ex dictis tum supra, tum in Tractatu de Irregularitate; irregularitas enim ex delicto supponit peccatum grave: quotiescumque ergo homicidium casuale imputari non potest ad peccatum mortale, non existit irregularitas; in casu opposito existit.

#### CAPUT SEXTUM.

##### DE SEPTIMO ET DECIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

Hæc duo præcepta jungimus, sicut alibi sextum et nonum simul junximus, quia utriusque idem est objectum. Sie exprimuntur in Exod. xx, 15: *Non furtum facies;* et 17: *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non servam, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.*

Quædam breviter dicemus, 1º de furto in genere; 2º de quantitate requisita ad constituendum peccatum mortale in materia furti; 3º de furtis minutis; et 4º de furtis domesticis.

## ARTICULUS PRIMUS.

## DE FURTO IN GENERE.

1º Furtum venit a furvo seu nigro, quia clam, in obscuro ac plerumque nocte fieri solet, et definitur: *Acceptio rei alienæ injusta, seu domino rationabiliter invito.*

Stricte loquendo et stando principiis quæ hanc materiam, justitiam scilicet, regunt, dominus posset esse rationabiliter invitus, si rem suam ex charitate solum debitam denegaret. Peccaret quidem contra charitatem, sed non contra justitiam. Sed, in praxi, saepè, ut videre est apud auctores, dominus dicitur non rationabiliter invitus circa acceptancem rei suæ, et proinde aufertur ratio quæ furtum constituit, etiam quando res accepta ex sola charitate debetur; quia fieri potest quod ex tali debito præsumenda sit voluntas Dei jus verum conferentis, et quia existimatur dominum officium suum, quocumque sit, adimplere velle, et proinde non esse invitum circa acceptancem rei suæ.

Si rei ablatio fiat cum vi et injuria, dicitur rapina, a simplici furto specie distincta, quia præter ablationem rei alienæ, aliam includit malitiam, videlicet personalem injuriam.

2º Dividitur in furtum simplex, in sacrilegium, in plagiatum, in peculiatum et abigeatum. *Furtum simplex* consistit in ipsa rei alienæ ablatione, sine ulla speciali circumstantia mala; *sacrilegium* est ablatio rei sacrae de sacro, vel rei sacrae de non sacro, ut habetur in Decret. part. 2, causa 17, q. 4, can. 21. Plures addunt, rei non sacrae de sacro. *Plagiatus vel plagiun*, sic dictum quia vi Flaviæ legis, qui hujus criminis erant convicti, damnabantur ad plagas; in eo situm est quod quis dolose hominem liberum surripiat et vendat, vel servum alienum

sibi detineat, vendat, commutet, etc. Cum servitus apud nos sit abrogata, crimen plagii vel plagiatus cessavit. *Peculatus* est ablatio pecuniae publicæ, seu ærarii communis. *Abigeatus*, a verbo *abigere*, est ovium, boum, equorum aliorumve pecorum ex pascuis aut armentis fraudulentia subtractio.

3º Furtum est peccatum ex genere suo mortale, et constat, 1º ex Scriptura sacra, Exod. xx, 15: *Non furtum facies*; Zachar. v, 3: *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ, quia omnis fur sicut ibi scriptum est judicabitur*, id est condemnabitur; est evidenter sensus textus qui ab omnibus sic intelligitur. B. Paulus, I Cor. vi, 10, ait: *Neque fures, neque avari... neque rapaces regnum Dei possidebunt*; 2º ex unanimi Patrum et doctorum consensu; 3º ex ratione; jus enim proprietatis est fundamentum ordinis socialis materialiter spectati; furtum autem hunc ordinem subvertit: ergo. Si vero in Prov. vi, 30, dicatur: *Non grandis est culpa cum quis furatus fuerit*, id intelligendum est per oppositionem ad adulterium de quo in eodem textu agitur.

4º Notandum furtum non esse peccatum mortale ex toto genere suo, sicut blasphemiam, homicidium, luxuriam consummatam, sed levitatem materiæ admittere posse, ut omnes fatentur.

5º Si ablatio rei alienæ non fieret injuste, sed potius in utilitatem domini, ut, v. g., si uxor auferret pecunias a marito, ne eas iudis vel comensationibus prodigeret; vinum, ne inebriaretur; gladium, ne se jugularet; librum impium, ne averteretur a religione, etc., furtum non esset, et saepè non peccatum, sed opus charitatis. Prudenter tamen agendum est, ne unum peccandi genus impediare querendo, aliud etiam gravius excitetur. Communiter qui nullam habent auctoritatem in hominem re sua abuti volentem, eam ipsi surripere non possunt, nisi forte ad tempus, ad vitandum grave malum temporale, v. g., ne se vel alium occidat, mutilet, etc., non vero ad sola ipsius peccata impedienda, siquidem sola voluntate ea admittere potest: querendum est igitur

medium voluntatem ejus sanandi per vias prudentiae, persuasionis, etc. Unde approbare non possumus eos qui libros alienos impios, hereticos, obscenos, maleficos, subripiunt, dilacerant, comburunt, eosque ad restitucionem damnados esse putamus, nisi ob bonam fidem a gravi culpa excusari possint, juxta principia a nobis in Tractatu de Restitutione posita, ubi de *reparando damno injuste illato*.

6º Similiter quando dominus non est rationabiliter invitatus, non est furtum, neque peccatum. Hinc excusantur, 1º qui legitimate presumeret dominum advertentem consensurum esse, licet, praे aliqua verecundia, eum monere non andeat; 2º qui pro se vel alio in extrema necessitate constituto alienum capit quantum stricte necessarium est, et legitimum possessorem in parem necessitatem non conjicit; quia in tali extremitate omnia bona sunt communia, ut aiunt doctores, seu propriarius rationabiliter invitatus esse non potest quod quis aliunde periturus, bonis ita sibi necessariis utatur. Sed qui petendo vel mendicando sibi necessaria obtinere potest, non in ea versatur necessitate quæ dicitur extrema, sed tantum in gravi quæ, ex judicio doctorum communiter recepto, et ex sequenti prop. ab Innoc. X damnata: « Permissum est furari, non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate, bona non reddit communia. Vide quæ diximus in Tractatu de Restitutione, agendo de causis a restitutione excusantibus.

7º Communiter docent auctores Christianos apud Turcas in injusta captivitate detentos, a dominis suis subripere posse quantum sufficit ad se redimendos et ad redeundum in patriam; quia jus habent ad compensationem pro injusta captivitate. Saltem non est dubium quin servi injuste facti et detenti, non solum apud Turcas, sed apud quascumque gentes, liceat fugere possint.

Plures, ulterius progredientes, affirmarunt quemlibet Christianum bona Turcarum subripere posse, quia principes christiani habent jus spoliandi Turcas omnibus bonis et locis ab ipsis olim usurpatis, et recte presumi posse

hanc facultatem a principibus fuisse concessam ipsorum subditis. S. Ligorius, l. 3, n. 525, habet hanc sententiam ut probabilem, « modo non adsit inter Turcas tempus treguae vel salvi-conductus; vel nisi aliquis Turca degat in locis Christianorum, sive liber, sive servus, maxime si adsit ut publicus negotiator, sub fide regia. »

Nos vero persuasum habemus hanc sententiam nullo modo nunc defendi posse, quidquid dici potuerit dum apertum existebat bellum inter omnes principes Christianos et Turcas.

## ARTICULUS SECUNDUS.

## DE QUANTITATE IN MATERIA FURTI REQUISITA AD PECCATUM MORTALE CONSTITUENDUM.

Quoniam nemini dubium est furtum esse de natura sua peccatum mortale, omnes fatentur esse mortale quoties objectum ejus est grave. Sed in assignanda quantitate requisita ut objectum censeatur grave, valde scinduntur theologi, et fere tot sunt sententiae quot capita. Communius remittunt ad judicium viri prudentis, advertentes tamen, 1º hoc reputandum esse grave quod alicui præsustentatione unius diei sufficeret, vel quod bene laboranti pro mercede unius diei solvit; 2º quod dominus non nisi graviter invitatus amitteret et quidem rationabiliter: unde notabilis summa aut valor constituit objectum grave etiam respectu ditissimorum, quia graviter sunt inviti et quidem rationabiliter, cum hujusmodi furta bonum societatis ordinem graviter laedant. Si res enim ita non esset, fures indubitanter frequentius bona divitium aggredierentur, et inde maxima perturbatio oriretur in societate. Haec est ratio fundamentalis ob quam hujusmodi peccata ut gravia habeantur, quamvis saepissime minus sint damna respectu divitium, quam leviora respectu aliorum. Hinc S. Ligorius, l. 3, n. 528, putat unum aureum respectu magnatum ditissimorum esse materiam gravem;

*Billuart* opinatur materiam sufficientem ad peccatum mortale respectu cujuscumque esse viginti aut viginti quinque asses Gallicos; alii requirunt tres francos, et alii quinque respectu divitum. Nihil ergo absolute determinari potest ut certum in hoc puncto. 3º Verum omnes tenent objectum in se leve fieri grave, si notabile inde proveniat nocumentum proximo, v. g., si auferatur acus sartori, as pauperi eo maxime indigenti, frustulum panis fame morienti, potus aquæ graviter sipienti, etc. Necesse est ergo ut habeatur ratio circumstantiarum, personæ, rei, loci et temporis, atque omnia sedulo perpendantur.

Notant *Lessius*, *Busenbaum* et alii plures majorem requiri quantitatatem ad efformandum grave objectum in rebus ultro provenientibus aut valde expositis, ut sunt fructus ad viam publicam.

### ARTICULUS TERTIUS.

#### DE FURTIS MINUTIS.

1º Furtum minutum potest esse peccatum mortale ratione gravis nocimenti inde secuturi, ut modo diximus.

2º Qui ex intentione ditescendi, sæpe quid leve furatur, ut mercator qui falso pondere aut mensura non accurata vendit, peccat mortaliter, ratione intentionis graviter pravæ, ut patet et omnes concedunt: peccata tamen non multiplicantur numero pro numero furtorum, nisi intentio fuerit interrupta et renovata, sed idem continuatur peccatum mortale dum committuntur furtæ ex eadem intentione virtualiter saltem perseverante.

3º Hæc præcedens doctrina vera est, etiam si quis minuta a diversis personis furetur, quia 1º Scriptura graviter prohibet hujusmodi furtæ, Deut. xxv, 13 et 16: *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus... abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui hæc facit;* et Prov. xi, 1: *Statera dolosa abominationis est apud Deum;*

2º graviter læditur societas per hujusmodi furtæ. Habendi sunt igitur ut mortaliter peccantes contra justitiam caupones et mercatores falsis ponderibus aut mensuris vendentes, operarii materias sibi traditas retinendo ex parte, prodigendo, vendendo, donando, vel nimium exigendo, minus quam debent laborando, etc.

4º At qui plura minuta successive furatur sine intentione ad notabilem quantitatem pervenienti, mortaliter non peccat, nisi ubi saltem confuse advertens se ad gravem materiam pervenire, adhuc minutum subripit: tunc objectum fit grave et peccatum mortale. Res patet, si furtæ eidem personæ facta fuerint; nam grave damnum ei scienter ac libere illatum est. Si vero facta fuerint variis personis, plures volunt peccatum non esse mortale, licet agnoscant strictam obligationem restituendi notabilem summam hac via acquisitam, et adhuc realiter vel æquivalenter existentem. Multi tamen alii theologi dicunt peccatum esse mortale, quia grave infertur damnum societati rationabiliter invitæ, et fur habet intentionem notabilem obtainendi summam alienam. Completa quantitate ad constituendum objectum grave sufficienti, furtum leve de novo factum, si fur de præcedentibus furtis cogitet, et advertat damnum jam illatum augeri, peccatum grave constituit propter rationes superius expostas. Peccatum autem illud est a præcedenti numero distinctum, quia non procedit ex eodem actu voluntatis moraliter perseverante. Si vero furtum illud fiat sine ullo respectu ad furtæ præcedentia, nec fur habeat intentionem ad magnam quantitatem pervenienti, certum videtur singula furtæ minuta postea facta non esse tot peccata mortalia.

In quacumque hypothesi, evidens est, ex dictis, furem habere non posse intentionem summam notabilem per minuta furtæ, etiam in mente ejus non unita, acquisitam retinendi.

5º Conveniunt tamen auctores majorem requiri quantitatem ad constituendum peccatum mortale, quando minuta furtæ fiunt respectu diversarum personarum, aut

respectu ejusdem personæ magnis intervallis: quia, ex communi iudicio, minus inviti sunt domini. *Billuart* censet, cum pluribus aliis theologis, tantum esse posse intervallum inter minuta furtæ, sive eidem, sive diversis personis inferantur, ut minime sint connexa, et quantumvis multiplicata, gravem materiam non componant, puta, si quinque asses hoc anno subripiantur, quinque anno sequenti, et sic per multos annos, ultimo furto peccatum mortale non admittitur propter defectum connexionis. Supponitur non adesse voluntatem per hanc viam ditescendi, aut summam notabilem inde prove-nientem retinendi.

6º Si plures minuta eodem tempore et etiam eidem personæ furentur, advertentes grave damnum inde proventurum esse, nullus tamen peccat mortaliter, nisi ex mutuo consilio agant, quia damnum grave nulli impunari potest; per accidens, respectu uniuscujusque lœden-tis, domino advenit. Sic *S. Ligoriu*s et plures apud ipsum, l. 3, n. 536.

7º Qui minuta faciunt furtæ, in esculentis, pluribus opersonis vel eidem personæ, sine advertentia grave damnum inde proventurum esse, mortaliter non peccant, quia hujusmodi furtæ non coalescent in unum: unde non datur obligatio sub mortali tale damnum reparandi, ut in *Tractatu de Restitutione* ostendimus.

#### ARTICULUS QUARTUS.

##### DE FURTIS DOMESTICIS.

Per furtæ domestica intelliguntur furtæ parentum, filiorum familias, conjugum, religiosorum, servorum et ancillarum.

Mortaliter peccant 1º parentes si, ex bonis quorum filii habent dominium et administrationem, puta, ex iis quæ per industrias separatam acquisierunt, partem notabilem sibi arrogant vel subripiunt, quia rem alienam domino rationabiliter invito auferunt.

2º Filii si notabilem quantitatem ex bonis parentum subripiunt vel dilapidant, quia hujusmodi bonorum non sunt actu domini, sed tantum in spe: tenentur igitur ad restitutionem si possint; si non possint, tenentur computare valorem rerum sic ablatarum in suam partem, tempore haereditatis apertæ, nisi constet cohaeredes idem fecisse. Conveniunt tamen theologi majorem requiri quantitatem ut hujus generis peccatum sit mortale, quia parentes non sunt tam inviti quam si hæc ab extraneis fierent. At si filii sola sibi stricte necessaria parentibus duris subriperent, nullo modo peccarent, quia parentes non essent rationabiliter inviti.

3º Maritus qui de bonis paraphernalibus aut dotalibus uxoris partem notabilem subripit vel dissipat; qui bona communia, quorum dominium pro medietate pertinet ad uxorem, perdit, donat, prodige dissipat, quia jus alienum graviter ledit, ut patet.

4º Uxor quæ, absque consensu mariti saltem præsumpto, aliquid notabile de bonis communibus subraheret, graviter peccaret, quia eorum administrationem et usum-fructum non habet. Ea tamen licite administrat marito consentiente, vel absente, ægerto, amente, inepto aut alia de causa impedito: item non peccat clam subra-hendo quod stricte necessarium est ad honestam sui et familiæ sustentationem, juxta suam conditionem, ad sol-venda debita, ad congruas recreations, eleemosynas, donationes statui suo proportionatas, secundum consue-tudinem seminarum suæ conditionis; quia non est an-cilla, sed domina, et in his omnibus maritus irrationali-lier esset invitus. De his iterum dicemus in *Tractatu de Restitutione*.

5º Religiosi vel moniales quæ votum paupertatis emi-serunt, mortaliter peccant si quid notabile de bonis com-munitatis subripiant, vel de bonis sibi datis rotineant, ut supra diximus, p. 315, quia votum transgrediuntur.

6º Servi et ancillæ peccant etiam graviter si quid no-table de bonis dominorum sibi arrogant; et eo facilius peccatum erit mortale, quo res domesticæ fidelitati eo-

rum magis erunt commissæ, quia domini magis erunt inviti. Vide Cod. pœn. art. 385, n. 3.

Notant tamen auctores, religiosos et domesticos regulariter excusari a peccato mortali, dum modica et communia esculenta vel pocula in proprios usus subripiunt, quia domini, parentes et superiores non sunt inviti respectu hujusmodi furtorum quoad substantiam, sed tantum quoad modum accipiendi, et ordinarie ea concederent si peterentur.

Diximus *regulariter*; quia cum hæc a voluntate dominorum pendeant, si constaret eos graviter esse oppositos talibus furtis, peccatum fieri posset mortale; quod præsumendum est si de rebus raris, pretiosis, quibusdam personis reservatis agatur, aut si domini talia furtula ægre ferre soleant, quando ea advertunt.

## CAPUT SEPTIMUM.

### DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO.

Hoc præceptum sic enuntiatur in Exod. xx, 16: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* His verbis prohibetur omnis læsio verbis aliisve signis æquivalentibus proximo illata. Sic apprehendunt omnes.

Talis autem læsio ad triplex genus reduci potest, nempe ad mendacium, ad detractionem simplicem et ad detractionem judicialem.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE MENDACIO.

Mentiri est contra mentem ire; unde S. Aug., l. contra Mendacium, cap. 12, ait: «Mendacium est falsa significatio cum voluntate fallendi;» quæ verba referuntur in Decreto, part. 2, causa 22, q. 2, can. 5, et ideo omnes theologi hanc definitionem mendacii admittunt.

Dicitur 1º *falsa significatio*, ut intelligatur non solum verbis, sed scripto, gestu vel aliis similibus signis mendacium fieri posse. Dicitur 2º *cum voluntate fallendi*, vel potius falsum dicendi; nam plures cum Billuart essentiam mendacii, non a deceptione, sed a falsitate formali repetunt: unde si abesset intentio falsum dicendi, vel nullum esset mendacium, vel imputari non posset; v. g., qui dicit falsum, credens esse verum, non mentitur; qui, e contra, dicit verum, putans esse falsum, mendax est, licet de facto non dicat falsum. Qui sic falsum loquitur jocando ut auditores decipi non possint, re ipsa non mentitur; puta, duo Vascones qui, ex sponsione, tentabant quis amplius et insigniori modo mentiretur, unus dicit: Video formicam in summitate talis turris quæ a leuca distabat; alter respondit: Eam non video, sed deambulanten audio.

*Notandum* aliud esse habere voluntatem fallendi, et aliud intendere veritatem, quæ sine incommodo manifestari non potest, celare, ope restrictionis legitimæ.

Dicemus 1º de mendacio in genere; 2º de variis mentiendi modis, et 3º de restrictionibus mentalibus.

#### § I. — De mendacio in genere.

Plures arbitrii sunt mendacium quandoque licitum esse: citantur Plato, Origenes, Cassianus et alii, qui saltem mendacium oblectandi causa factum ab omni culpa liberum esse volebant; Priscillianistæ, qui mendacio et perjurio doctrinam suam occultari posse tenebant; nonnulli catholici, qui, tempore S. Aug., simulabant se esse Priscillianistas, ut virus hujus sectæ detectum patefarent; quidam Calvinistæ mendacia officiosa in necessitate approbantes. Contra hos omnes sit

#### PROPOSITIO.

*Omne mendacium proprie dictum semper est peccatum.*

Hæc propositio constat Scriptura sacra, testimoniis Patrum, ratione et unanimi doctorum consensu.